



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Chrysanthus & Daria MM. 25. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

670 VITÆ SANCTORUM. 25. Octob.
feruo, ANGELO inquam nostro, feliciores illos Angelos inserviisse. Nam fuit, cum è morbo decumbenti incidere venam medicus constituit. Hic, absentibus omnibus aliis, adfuere è caelo ephibi gemini, caelo ipso suo formosiores, qui lumen aliave ministrarunt, & sanguinem ægri obsequiosi exceperunt. Tanti sane erat omnem omnino sanguinem prodigere. Certè tam duriter vixit *Leones*, ut præter cutem & ossa vix quidquam hominis jam haberet eò rectius *Angelus* dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem posuit anno præter salutis MD. VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impar his lingua esset) campanæ sponte impulsæ cecinerunt. Ex *Ferrav.*

*De dilectione Conditoris lingua, mens
& vitarequiratur. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna; si verò operari renuit, amor non est. S. Greg. Hom. 30.*

SS. CHRYSANTHUS & DARIA MM.
25. Octobris.

CHRYSANTHUS patre natus Polemio senatorii ordinis viro, dum fortuito in manus sumit, quem Evangelii librum dicimus legitque, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimum edoctus. At Polemius, ut
filium

25. Octob. VITÆ SANCTORUM. 671
filium à Christianâ disciplinâ dimoveret,
nihil non movere, carcerique demùm
mancipare. Sed hic gymnasii instar virtu-
tis erat. Ergo ad invidias amicorum con-
silio versus cubiculum adornat, & omni-
bus deliciis instruit; addit mulierculas
omni mundo muliebri præter verecun-
diam superbas. Inter has collocatus
CHRYSANTHUS tunc demùm in
carcere esse se credidit & ingemuit. Quid
faceret? clypeum nempe (oculum clau-
sum) objecit. Sed & calum somno lena-
rum oculos obruit tam profundo, ut ca-
stitati facile esset dormientium manus e-
vadere. At ecce novum duellum: *Davia*
virgini & formâ & literis cultissimæ
committitur. Pergit tamen ille victoriis
victorias accumulare, & sponsum expe-
tenti promittit hunc, sed Christum. In
has leges & pax & nuptiæ promittuntur:
quæ ut festivore apparatu fierent, pluri-
mos ille virgines ad castitatis amorem
traxit. Enimverò hic demùm furere Ve-
nus, & vinci toties tela sua indignata, ty-
rannum armare, jamque CHRYSANTHUM
in carceres, *Daviam* in lustrum trahere.
Sed illum contra tormenta lux cælo al-
lapsa, istam contra leones leo defendit.
Ultimò vivi terrâ obruti castissimi con-
juges, primum thalamum, tumulum ha-
buerunt. At olim degener Roma non ca-
stitatem, sed impudicitiam sic tumula-
bas. Ex Metaphr.

Flu-

Fluxa & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despice: minas ejus animi fortitudine supera: surgentia carnis incendia reprime: mentem virtutibus dilata: torporis frigus de corde depelle, & ad supernæ beatitudinis gaudium flammato desiderio suspira. S. Pet. Dam. serm. 5.

S. DEMETRIUS MART. 26. Octob.

NAtale solum **DEMETRIO** dedit Thessalonica, parentes nobilitatem, literarum studia laudem, at militia denique totius Græciæ imperium Christus illi semper in ore, hujus præco ipse Proconsul non dubitavit esse; quo factum, ut passim ubique superstitionem in provinciâ suâ expugnarit. Debebatur illi ob res tam benè gestas triumphus. Sed hunc ille scilicet in carcere duxit. Corona ut non deesset sic triumphanti, hanc è cælo Angelus attulit. At ille non unâ contentus, sed plures sperare ausus, certamini suo alios præmisit. Et fortè ludos dabat Maximianus more suo cruentos. Lyzus staturâ & robore monstrum solus in quoivis pugnabat, numquam, numquam non victor. In hunc **DEMETRIUS** immittit Nestorem adolescentulum viribus longè inferiorem, cætera cruce frontem & pectus probè armatum. Hic portentosum gladiatorem in arenâ porrexit. Sed per hujus latus Imperator se
sau-